

N. 1796

20 hercheypredigen

einzelne aufgen.

unter dem Namen

PK (14) (15)

nicht weiter
verfolgt, wobei PK, D

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14



CASPARIS LILII, BERLINATIS,

Sereniss. & Potentiss. ELECTORIS Brand. in
Acad. Regiom. design. Professoris Theol. & Jun. Baron.
DE BLUMENTHAL haftenus Ephori

In

196122

PRÆMATURUM OBI-
TUM

GENEROSI ET NOBILISSIMI
VIRI-JUVENIS

ADOLPHI FRI-
DERICI DE LEPEL,

EQVITIS MEGAPOLITANI

ORATIO.

Hemipoli,

ET Typographico Andrea Colvvaldi,

Anno clō Ioc LVI.

Per-Illustri & Excellentissimo Domino
DN.

IOACHIM FRIDERICO

L. B. DE BLUMENTHAL,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELE-
CTORIS BRANDENB: CONSILIARIO INTIMO
ET PRO-PRINCIPI HALBERSTADI-
ENSI, &c. &c.

Generoso, Nobilissimo & Maxime
Strenuo

DN. NICOLAO DE LEPÉL
SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI
CAPITANEO IN *Santau* &c.

Rev. Adm. Illustri & Generosissimo Domino
DN.

CHRISTOPH CASPARI

L. B. DE BLUMENTHAL,
ORDINIS S. JOHANNIS EQUITI ET COMMENDA-
TORI IN SUPLINGENBURG, SEREN. ET POTENT.
ELECT. BRAND. CENTURIONI, &c. &c.

S. P. D.


CASP. LILIUS, BERLINAS.

Non

Non una, sed gemina lu-
ctus causa divinitus Tibi hodie
objicitur PER-ILLUSTRIS ET EXCEL-
LENTISSIME DOMINE PRO-PRIN-
CEPS, ubi eodem funere efferre debes MARIAM ALE-
XANDRINAM Filiam longè dilectissimam, quæ in tener-
rimâ adhuc ætate illâ inter pietatis atq; morum rara nunc
adeò exempla merito suo numerari debebat, iteq; ADOL-
PHUM FRIDERICUM DE LEPEL Generosum multaq;
expectationis juvenem, sororium Tibi Tuæq; domui non
uno nomine unicè carum. Maxima spes illa, quam Opti-
mum hoc par ostendebat nobis & pollicebatur, quàm sub-
ito omnibus nobis erepta est. Hinc meritò lugemus. Nul-
lam feliciorē sortem longam esse inter homines, resque
mortalium celeri turbine versare DEum hodiernus dies sa-
tis profectò docet. Moderate autem tantum casum ferre
Tu, DOMINE, rectissimè nosti, cum mala plurima, forti ta-
men bonoq; & constanti animo superata in hâc palæstra
TE satis exercitatum fecerint. Habuisti haut in levi precio
ADOLPHUM FRIDERICUM, quem sumtu Tuo,
minimè vulgari, per tot annos educaisti. Rebus Tuis ful-
crum aliquando, Tuæq; domui præsidium quoddam & dul-
ce decus illum fore sperabas equidem, nec immeritò. Sic
amasti eum tamen, ut DEO suum repetenti, bono animo
illud nec invitus reddere volueris. Habes in omni casu cer-
tissimum: fiat voluntas Tua. Nihil prorsus aliud acci-
dere Tibi posse, quam quod oratione quotidiana petis,
longè certissimus es. Tu quoniam exploratam habebas in-
dolem ADOLPHI FRIDERICI, me â vero alienum hîc
nec quicquam scripsisse, optimè omnium judicabis. Te au-
tem

rem **GENEROSE ET NOBILISSIME CAPITANEE** plurimum lugere tam præmatura fata Optimi filij Tui, nihil planè miror. Filius Tuus fuit. Non sanguinis modo, sed aliqua certè nec postrema pars animæ. Accipere oportet tamen quodcunque nobis in vita non sine DEO immittitur. Summum cœlum sine murmure & querela subinde sequi ejusdemq; constantiam firmumq; in adversis animum imitari necesse est, qui non binos, sicut Tu hoc anno, verū plures filios amiserat, **Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen ejus benedictum.** Erigere Te potest, quod talem habuisti, quem Cœlum ipsum hominesque maximi fecerunt. Hunc fratrem suum quotidie intueri debent & in oculis habere filij Tui adhuc superstites, quo ad eandem gloriam per virtutis & pietatis viam ire pergant. Tibi vero **GENEROSISSIME DN. BARO**, gratissima sèper erit, tam cari capitis Tuiq; per tot annos socij, tandem quoque Commilitonis carissimi, tum eorundem studiorum memoria, quæ in Tuo Consobrino prædicari vides. Possum paria, imo majora certè de Te scribere. Modestia tamen Tua intercedit, ne quæsita nimium laudatione viventi Tibi parentare, tanquam mortuo, incipiam. Ut absoluto feliciter suscepti itineris cursu, propediem ad nos revertaris, nosque omnes desideratissimo reditu Tuo reficias, ex animo precor. Accipite, **DOMINI**, postremum officium quod **ADOLPHO FRIDERICO** debui persolvere: Accipite nō magni quidem ponderis munus, sed quod gratū tamē fore confido. **VALETE** & diutissimè superate, mihiq; & rebus meis porrò bene favere nolite quæso unquam desinere. **HEMIPOLI, D. II. Decembris, Anno Christi 1616 LVI.**

Si



I in isto funere, quod non ante pedes nobis, sed oculos & animum positum est, præter mortalitatis, nullum aliud documentum extaret, ex quo cēseri rectius posset, crederem utiq; me in re quotidianâ & ubivis ob via frustra verba facturum esse. Nunc ubi maximæ spei & multæ expectationis exemplum intuendum nobis omnibus objicitur, silere sanè non debeo. Sed pro spes fallaces! nihil rerum mortalium constans esse & perpetuum atq; puerilibus crepundijs consentanea esse, quæ spes hominum videtur, hodiernus maximè dies docere potest. Atri & pullati omnes convenistis hodiè, quemadmodum officiosissimè invitati fueratis, quo humeris susceptum exanime corpus ad dormitorium suum longâ seriè perducatis. Si quotidianis oculis intuemini funus, quod præfertur vobis, næ erratis valdè. Est majoris momenti res, quæ spectanda sese nobis & intuenda exhibet. Nil vulgari, quotidiani nihil est, quod hâc lugubri pompa prodire in publicum debemus & spectaculo esse hominibus. Me, cum propter crudum adeò ludum ora alij omnes teneant, ad dicendum invitant & luctus Communis & dolor proprius. Nolo jam commemorare alia, quæ tamen possunt à veris rerum æstimatoribus haut in levi momento poni. Ea & unica me nunc cura tenet & illa attentior consideratio, quam longas atq; multas mortalium spes unius infelicis horæ momentum evertere sæpè queat aut tollere. Spectaculo hîc est funus Generosum, à quo uno, si nulla alia exempla præsto fuissent unquam, spectari ea quam rectissimè queunt. Fuère profectò in hoc, Juvene Nostro, dum viveret Generoso & Nobilissimo, non pauca, quæ cognosci publicè merentur utique,

A

taceri

tacere certè non debent, ne quantas ille spes, non tantum
Carissimis suis, verum bonis omnib; ostenderit, in obscuro
sit. Meum fuit memoriam tantæ virtutis ejus, quam ex fa-
miliariore consuetudine accuratè perspectam habeo, & in
recente adhuc, nullo autem vel die vel tempore peritura
recordatione gero, retinere, atq; ut eandem alij mecum
bene recolant pro virili præstare, ne idem ille tumulus, qui
corpus tantæ virtutis diversorium, famam quoq; nominis
maximæq; Indolis ejus obruat. Nihil me amicitia nostræ
dare credatis, quandoquidem animum meum sic à multo
tempore jam obfirmatum habeo, ut à vero me dimovere
nec quicquam patiar. Possunt expectari à me, quæ in ipso
multâ commendatione fuerunt dignissima, alios autem,
suos cum primis quos habet superstites, ad similem virtu-
tem excitare omninò debent.

ADOLPHO FRIDERICO Nostro,
ea bona quæ à propitia fortuna dispensantur, tum impri-
mis altus, præclarus, & erectus animus omnis virtutis ac sci-
entia capax, vera divinitatis in homine imago, vultus item
generosus & amabilis, corpus sanum, agile & vegetum,
quodq; est haut postremo loco ponendum, Genus Illustre
& multarum Imaginum, contigerat. Bene autem cum
lacte velut materno imbiberat, & ubi in cunis adhuc labo-
rabat à pientissima Matre, foeminâ ultra suum sexum pru-
dente, plurimum audierat, inter cetera vitæ instituendæ lon-
gè fidelissima ac prudentissima simul præcepta, quæ per o-
mnem vitam suam animo pertinaciter infixæ gerebat, præ-
claram faciem, divitias, ad hæc vim corporis & alia natu-
ræ bona, quæ maximi alias haberi solent, & in precio haut
mediocri poni, caduca esse ac per brevi sæpè tempore dila-
bi;

bi; sola autem animi facinora clara æternaq; esse. Hinc de corpore parum sollicitus ille, in animi cultum curam omnem intendebat, etiamsi corpus non incultum omnino sineret. Quamplurimos videre licet, qui eo gradu, quo ipse erat, nati, de virtutis cultura nihil vel parum admodum solliciti sunt, ipsi fruges consumere nati, turpi otio ætatem omnem transeunt. Paulo generosior videri queat, & ultra communem sortem, qui nulla aut per exiguâ virtute ornatus, majorum suorum Imagines & fortia facinora composita oratione recensere novit. Alia ab hac sententia Noster erat, cui à puero diu multumque erat incukatum & bene impressum sedebat, virtutem Majorum posteris lumentantum esse, quod eorum neq; bona neq; mala in occulto esse sinit. Quanto Majorum gloria major est & illustrior, tanto posteritatis socordiâ turpem magis & detestandam esse, sciebat. Prodebat sese jam in puero futuræ virtutis insignis indoles, quam posteaquam animadvertenterat **PER-ILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIMUS DOMINUS JOACHIM FRIDERICUS L. B. DE BLUMENTHAL**, Cæsarei Exercitus, ea tempestate Commissarius Generalis, fovere eandem decrevit, sicq; suis luculento aliquo documêto testatum facere, quantum suos, qui virtutis præcipuè igniculos ostendunt, & quam tenaciter amaret, omni vero modo juvare eosdem & promovere gestiret. Quam obsecro rari sunt hodie, quos salus suorum tangit. Sunt oppidò pauci, qui suis velint salubri consilio adesse, opere ipso qui tale præstet, ferme nemo est. Eò devenerunt tempora hæc certè postrema, ut in suum sanguinem adfectus omnis extinctus penè, imò sepulto esse, cuiquam haut immeritò videri debeat. Tali animo nunquam fuit **DN: PRO-PRINCEPS**. Extat bonitatis ejus,



cum in alijs, tū vel maximè in ADOLPHO FRIDERICO exemplum in Illustri loco positum. Hunc enim evocatum ad se & accersitum, cum Generosissimo Filio suo, quem unicum tunc habebat, DEO autem & Reipublicæ totum consecravit, atq; inde multa cura & sollicitudine plusquam paternam, à primâ & tenerrima ætate circumspectissimè & quâ optime educari curabat, eoq; Juventæ rectores, quos diligenter conquisitos habere potuit optimos, ipsi præposuit, sumtuq; sanè magno, per annos quàm plurimos, aluit, primum in antiqua Nemetū Civitate illa, quæ Colonia Agrippina hodie dicitur, educare jussit. Nunquam aliter eum ac suum habuit. Nullum fuit discrimen inter filium & sororium. Pari amore utrumque amplexus est. Nihil unquam in filium contulit, ejus sororius non fieret particeps. Conjux Generosissima cum suum amore materno eoq; longè ardentissimo prosequeretur, deq; sinu & complexu suo totum haberet, tantopere ADOLPHUM FRIDERICUM amabat, ut judicari non posset, utrum plus diligeret. Ipsimet, uti fratres decet, per mutuam caritatem vivebant. Eadem tractabant studia, alterq; alterum suâ industriâ cum æmulatione quâdam, sine ullâ obtrectatione tamen, quæ solet alias inter tales per frequens esse, excitabat. Mutuus amor, mutua benevolentia ubiq; appareret & adfectus, qualis inter fratres & propinquo adeo sanguine natos esse omninò debet, quamvis rarò sit, nescio quo fato, longè tenerrimus. Multum sæpè miratus sum, eos, inter quos summa semper erat virtutis & industriæ æmulatione, voluntate tam concordi vixisse invicem. Æmulatione omnis sancta semper erat & innocens, alterq; alterum sibi anteponebat, cum tamen perquam rarò eodem loco sit

fit emulatio & amicitia nihil fucata atque amor solidus &
ubique constans. Possum adfirmare, cor unum, unam
animam, spiritum unum in hoc conjunctissimorum fra-
trum pare fuisse. Uterq; eadem amabat studia, ad gloriam
& magnam fortunam, non nisi per virtutis unicum illud &
arduum iter, uterque contendebat. Nunquam displicuis-
se memini, quod alteri placuerat. Inter eos, quos natura
fratres fecit, non parentum voluntas conjunxit, hæc virtus
erit certè quam rarissima. Ex qua longissima eaq; dulcissi-
ma consuetudine factum est, ut fatum nimis præmaturum
tam cari capitis ad cor Generosissimi BLUMENTHALII
tum absentis fortè & in Urbe, terrarum domina & Romani
Imperij matre, degentis, altissimè descenderit. Sed Noster,
ut subinde docebatur, nihil nobilitate suâ tam esse dignum,
quàm ut per virtutem eam ornaret ac ostenderet, hinc ad
virtutem animum suum totum componebat. Sapientissi-
mo inter Judæos & præstantissimo item Judæorum histori-
co credebat, pietatem non partem virtutis, sed alias omnes
virtutes, justitiam, fortitudinem, temperantiam & reliquas,
quotquot sunt, pietatis partes esse. Omnes actiones, exer-
citationes & sermones omnes ad pietatem referri debere,
agnoscebat. Quid enim sine pietate virtus est. Aut quo-
modo quæso censei virtus potest, quæ pietate destituitur.
Sit omnibus virtutibus quisquam instructus, ubi pectus pie-
tate expletum non habet, statuam ego quandam sine ani-
ma, colossum sine capite censebo. Ex pietate velut vivâ qua-
dam scaturigine sane omnis vera virtus, animus invictus &
in præsentissimis periculis, in mortis etiam maximè alias
formidando discrimine imperterritus, fides in superiores,
er, a proximos amor & benevolentia, cum æqualibus con-

cordia, in ipsos etiam adversarios æquanimitas & mansuetudo, tollerantia in adversis, Beneficentia item & liberalitas cum justitia quæ neminem lædit, suum verò cuiquæ tribuit, promanant ac prodeunt. Sic pietas ad omnia utilis est. Sapientiæ & virtutis omnino omnis initium pietas est. Crebro mecum cogitare soleo, quodnam sit illud legitimum vereq; Summum Bonum, ex cuius possessione in hoc mundi theatro homo beatus censerit meritò, cuiq; uni à prima ætate per vitam suam omnem summa contentione laborare debeat. Non ignoro equidem multas multorum sententias, & trecentas aliquando hæc de re extitisse, satis memini. Video nonnullos bonum nimis fragile & caducum, certè non nisi temporarium pro Summo Maximoque habere, neq; sic errare sibi modo, sed alieni erroris causam & auctores esse, dementiamquæ, ut Seneca loquitur, spargere in proximos. Post multam seriamq; deliberationem in hanc demum sententiam ratione perductus sum, eadem Omnia, quæ solent alias in vita pro Summis censerit, quando quidem rarissimè constant & propria sint, subito adfluant, subitoq; & in momento sæpè diffluant, isto nomine sanè pulcherrimo indigna utique esse. Animum cum erga DEum, tum erga proximos suos pietate impletum habere, hanc veram demum beatitudinem esse & bonum citra fucum Summum Optimumque & Maximum censeo. Inter Philosophos non postremo loco pono Stoicos, qui pietatem illam & DEI sequelam pro Maximo hominis & suo Bono habuerunt. Sunt egregia & quovis auro preciosiora Epicteti verba, dum humanæ sapientiæ id præcipuum esse statuit, rectè de Numine ipso sentire, cum quod sit, tum quod benè & justè omnia administret: Te ipsum verò ita comparare, ut ei pareas, cunctis-

cunctisque, quæ fiunt, acquiescas, nec invitus obtemperes,
utpote quæ optimo consilio perficiantur. Pythagoras, Pla-
to cum alijs ejusdem ordinis, ita pietatem certè pro Maxi-
mo Bono habuerunt, ut penè incredibile sit, sive admirati-
one dignissimum, eò usque etiam pervenisse eos, aut Pietate,
aut Zelo, Verborum quoque & Orationis sinceritate, ut
in adserendo divino Numine & resultante hinc veræ pietatis
studio multos Christianorum sermones vicerint. Exstite-
runt jam inter antiquos horum virorum non sectatores
quidem, successores tamen, ut mali homines, ita & junio-
res, qui veterum illorum Sanctissimam Optimamque & In-
nocentissimam doctrinam exagitare, pietatem conte-
mnere, novaq; sicut in republicâ, ita in litteris quoque do-
gmata moliri gloriosum sibi duxerunt, omnemque in deji-
ciendis sapientibus viris & antiquâ pietate conatum, pro in-
genij ostento habere, & quousque demum ubivis contradi-
cendo, quodeunq; insolens & paradoxum dogma probabi-
le quodammodo posset fieri, tentando, magnos sese & an-
te alios mortalium claros eximiosque putarunt. Hi homi-
nes in mundum inducti, sunt utique gygantes illi à veteribus
egregiè demonstrati, qui pietatem omnemque religionem
solvunt, Maximumque illud & sempiternum Numen de so-
lio suo præcipitant ac dejiciunt, plausibili semper argumen-
torum apparatu innixi, ut ante alios tanto ingeniosiores ac
certè acutiores videantur, quod DEum ipsum dejecissent,
quem populi omnes cunctæque nationes tot mundi omni-
bus seculis, rebus cunctis superiorem credidissent, usi cum-
primis argumento vicissitudinis in hoc mundo rerû omni-
um, fortunæ variæ, dissonorum item & multiplicium even-
tuum. Speculum habes hîc Maximorum Politicorum. Ita
crede-

credere intra animum, sic loqui decet virum Politicum, scilicet qui vultum magis, quam ingenium bonum ac compositum habere studet. Negare DEum, illud sicuti est revera, impium quidē nimis videtur. Callidè in homines spargere, ut relicta pietate Bono Summo & unicè perfectissimo aliud quoddam ab homine ejusdemq; humano, hoc est, Civili bono petatum à prima ætate & per omnem vitam sequantur & colant, maxima est & stupenda prudentia. Sic toti toti homines, bonum non nisi humanum sibi fingunt & introducunt: hoc cōsecuto se perpetuo beatos fore censentes. Bene cum rebus mortalium ageretur, si ejus generis homines antiquissima tempora, quæ squalor nunc fermè obduxit, habuissent, nec sava animorum pestis illa ad nos usq; penetrasset. Optimè sentire de hominibus omnibus, me equidem pietas Christiani nominis impellit. Sunt hodie tamē, prò dolor! qui philosophorum eorundem pessimorum sane, ex opinione tamen suā Politicorum virorum genuini discipuli videri meritò debeant. DEum esse, animam humanam post fata suamq; à corpore discessum super esse & in æternum perseverare, foreq; aliquando corporis pridem demortui resurrectionem, ubi præmia bonos, malos poenæ maneant profiteri omnes videas. Annon aliud promptum in ore, aliud clausum in pectore multi gerant, ego equidem, qui præcordia inspicere nequeo, judicare nolo, quamquam cujusque facta, animum interiore facile prodant. Ita se profectò habet, quisquis pietatem ex quâ peti virtutes omnes debebant vel contempserit, vel flocci fecerit aut parum curavit, vel in speciem saltem, ne videatur impius, jactitaverit, nō poterit non virtutes omnes contemnere, certè ex animo neutiquam colere. Hic mihi quidem aliquis,
cando-

candorem, constantiam, fortitudinem & cetera cordati vi-
ri bona prædicat. Ego ex solida pietate omnia censenda es-
se & dijudicanda arbitror. Sit insigni ingenio quisquam &
ad res feliciter gerendas approbe idoneus, ubi de DEO,
bonorum malorumq; omnium arbitro & vindice, si de hu-
manæ animæ Immortalitate, si de futura resurrectione, de-
que bonorum præmijs, malorum contra sempiternis nec
ullo tempore terminandis supplicijs minus rectè senserit
aut de rebus illis longè certissimis dubitaverit, vel intra præ-
cordia sua negaverit, num ei fidem vel minimā habere aut
virū bonum credere debeam, plurimum certè & jure meri-
toq; dubito. Quid sanctum obsecro, quid pium, quid iustum
erit in hoc terrarum orbe, quando vera & omni fæcio ca-
rens pietas ex animo dempta erit. Hæc religione solutus
nullum quamvis magnum, quamvis atrox & infandum sce-
lus aut formidabit aut recusabit. Contra verò, per DEUM
Immortalæ orō, quomodo virtutum omnium studium
non florere inter homines debeat, ubi illa futurarum rerum
seria meditatio in animo benè atq; firmiter radicata est, vi-
dere hæcenus non possum. Probè notavit hoc & suis ali-
quando proposuit diligenterq; inculcavit, aureum os illud
Johannes Constantinopolitanus Episcopus ob admiranda
eloquentiæ dona Chrysostronus appellatus, cujus verba hæc
præterire planè non debeo, multum enim ad emendandos
seculi etiam nostri mores pertinere censeo: Si ad spectus
diutaxat mortui hominis, inquit, mentem nostram adeò
pavore contrahit, quanto magis gehenna & ignis ille inex-
stinguibilis? Quanto magis vermis non moriens. Non po-
test fieri, ut anima de gehenna sollicitè cogitans citò peccet.
Proinde obsecro receptos à nutricibus liberos non anilibus

B

fabu

fabulis assuefaciamus, sed ex primævâ mox ætate discant
esse iudicium DEI; infigatur animis eorum esse supplicium.
Hic metus si radices egerit, magna bona operabitur. Ani-
mus enim ab ineunte ætate hâc futurorum expectatione
ad demissionem imbutus, non statim hunc metum excutiet,
sed quasi quidam obsequens equus, velut sessorem habens
gehennæ cogitationem compositè ingrediatur, & quæ uti-
lia sunt loquetur ac dicet. Egregia sanè verba atq; utinam
omnibus in animo & memoria perpetua benè fixa essent.
Hæc sedulo atq; multum quotidie fermè docebatur Noster.
Idem hoc **DOMINUS PRO PRINCEPS** crebro mul-
tisq; verbis proponebat suis, Hoc non semel iterabat, Hoc
frequentissimè multumque & accuratissimè diebus fermè
singulis inculcabat. Hoc inter Politica quæcunque potissi-
mum Maximumque præceptum esse, Hoc universæ Civilis
prudentiæ certissimum ac prorsus immobile fundamen-
tum esse, ostendebat. Huic in communi vita superstruere
omnia debere, Hoc per vitam omnem in actionibus & ne-
gotijs singulis in animo semper habere, Hoc ubique intueri
neq; ex sedulâ anxiaq; cogitatione unquam deponere, sed
velut infallibilem aliquam tutissimamquè Mercurialem
statuam & Ariadnæum filum firmiter tenere atque in laby-
rinthis quibuscunq; sequi suos debere, tanti temporis expe-
rientiâ, per tot ancipitia pericula, per tanta sæpè discrimi-
na ipsemet doctus, quàm studiosissime docebat. Hæc tanta
monita, tam sollicita per omnem vitam profutura præce-
pta, crebro admodum repetebat Noster, habebat in memo-
ria semper, atq; ne rerum tantarum theoriam plerumq; o-
tiosam, inanem & mortuam haberet, sed opere cum primis
ipso illa ostenderet, ita se suosque mores componeret,
non

non sine industria conabatur. Unde solidam pietatem,
animi bonitatem & in actionibus omnibus candorem se-
quebatur, mala & flagitia omnia, cum primis hypocritam
illam & fucatam pietatem ex animi sententia detestabatur
& fugiebat, quantum quidem per humanam conditionem
licet, approbè intelligens, non hujus modo, sed futuræ eti-
am vitæ præmia solidæ pietati proposita esse. Hoc funda-
mento jacto, his studijs, quæ caput sunt reliquorum omni-
um cujuscunq; demum generis sunt, animo probè compre-
hensis, alia quæ nobilitatem vel tuentur, vel ornant & com-
mendant studio summo & labore indefesso perdiscebat.
Possum audacter adfirmare in sanctioris Theologiæ studijs
tanta spacia fecisse eum, ut certare etiam cum eo potuerit,
qui per vitam suam sola hæc studia curæ sibi cordiq; habuit.
Ipse ego toties audivi, ubi inter Generosos Commilitones
in sacratiore hæc palæstra cum privatim in controversijs
etiam gravissimis sese exercuit beneq; de eisdem responde-
re valuit; in publicis etiam congressibus, ex Academiarum
consuetudine, profectus suos laudatissimos exhibuit pu-
blicequè ostendit. Academiam Juliam testem hujus rei
facio. Recte & prorsus egregiè credebat, Nobilitatem non
dedecere hæc etiam studia diligenter didicisse, nosseque è
divina Scriptura fidei salvificæ dogmata eruere, explicare,
& suo etiam modo adversus contradicentestueri posse. Re-
tinere eam fidem, quæ semel est proposita sanctis, multum
desiderabat & cognoscere quænam sint fundatissima il-
la dogmata Evangelico-Catholicorum. Satis memini
haut rarò ardore magno erroribus solide explosis verita-
tem adseruisse ipsum & pro eadem decertasse. Cujus rei do-
cumenta evidentia satis post se reliquit. Hisce addebat ea

studia, quæ ad altiora intenti robur aut decus esse possunt, certè non parum sunt necessaria, conquirebat ea præsidia, quæ sibi ad rem publicam aliquando admoto salutaria erant futura & proficua. Populos sibi omnes, mores ac instituta populorum diversissimorum ex Historia, quæ prudentiæ genuina mater est, ante oculos ponebat. Hæc studia multum amabat indeq; operam haut vulgarem in eisdem collocabat. Non ad ostentationem, non ad scientiam discendam esse historiam didicerat: sed vitæ Magistrâ eandem habebat. Quantum ex Historia proficiebat, illud ad usum Communis vitæ conferebat. Discebat inde actiones hominum ipsas intelligere, & quidnam in illis Turpe aut Honestum, Prudens aut Temerariû, Utile vel Damnosum esset, per varia Exempla & ordine circumstantiarum justo atque pleno. Sentiebat ad prudentiam & Mores optimos per tot Exempla invitari sese & à quotidiana Eius meditatione ad Imitationem formari. Hinc seria admodum & sedula opera Historiarum scriptores legebat. Non ignorabat quid Halicarnassensis Herodotus, quid Thucydides Atticus, post Mosen & Prophetas antiquissimarum historiarum scriptores vestutissimi, scripserant. Xenophontis apud Atticæ in dicendo suavitatem & in adfectatam venustatem degustarat. Diodori Siculi Bibliothecam sive universalem totius ferè orbis tum habitati historiam legerat. Non leviter inspexerat Assyricarum atq; Persicarum rerum scriptorem apud Græcos celeberrimum Ctesiam Gnidium. Plutarchi Chæronensis Græcæ Latinæque historiæ amplissimû thesaurum illum & omnium veterum historiæ scriptorum bibliothecam non ignorabat, ex cuius tot illustrium Græcæ Latinæque gentis virorum visis, optimarum rerum copiâ & sapientissimis sententijs vitæq; regulis plurimû profecerat.

Roma-

Romanæ cum primis rei historiam per aliquot annos ipsos
multa cura, diligentia certe & industria haut mediocri per-
lustraverat, cunctaque ad Civilis prudentiæ principia exi-
gebat. Primam alteramq; aetatem populi Romani ex Ti-
to Livio & Halicarnasseo Dionysio studiosissimè didicerat,
Bona & malefacta omnia benè & prudenter notarat. Quæ
de Imperatoribus Dio Cassius, Suetonius Tranquillus, Vel-
lejus Paterculus & ille subtilissimi acuminis historicus Cor-
nelius Tacitus composuerunt, studio fanè singulari, avidis
oculis & studiosâ mente perlustrarat. Ex quibus studijs,
quæ per aliquot annos, diebus singulis tractarat, non leveni
apparatum prudentiæ sibi pepererat. Neq; tamen ignorare
volebat res Germaniæ nostræ, unde in eorum temporum
monumenta studiosius inquirere incipiebat. Fatebatur
multum ad hæc studia se permotum esse, auctoritate Her-
manni Conringij Viri Celeberrimi, quem de Regnis disse-
rentem in Academia Julia Studiosè audiverat. E manibus
se se nunquam dimittere velle hæc studia, quocunq; demû
loco esset, vel quodcunq; vitæ genus ageret, certò decreve-
rat. Rupit propositum, fatum illud quod nunc omnes se-
riò lugemus. In Philosophia neutiquam hospes erat. Et
bene dicendi & rectè concludendi artem, doctrinam mo-
rum item, itemq; rerum naturalium scientiam, illam pariter
sapientiam, quæ Caput habet à sedulo Magistro suo, viro
Clarissimo, accuratissimè animo capaci didicerat. Subti-
litas, quoties requirebatur, non deerat. Artium & scientia-
rum præcepta memoria tenebat, sic ut ne hæsitaret quidem.
Multos qui Philosophicam scientiam jactitant, indeq; ho-
nores gerunt dare in ruborem profectò potuisset. Norat
tamen in his rebus omnibus tenere modum. Sed cum hæc

Omnia multo negotio tractabat, incendebatur tamen mirifice Juris Civilis Romani scientia, quam ab aliquot annis ductu Amplissimi Viri Studiosè perdiscebat. Quinque anni jam sunt, ubi tres quaterve horas huic solum rei impendebat quotidie. Ita hæc tractabat, quasi nihil habuisset aliud. In reliquis tamen industriam pariter haut vulgarem non ostendebat, sed probabat. Juris institutiones in memoria habebat. Nec ignorabat, quæ ad easdem accuratissimè scripsit Bachovius. Sutholdi Exercitationes familiarissimas sibi fecerat lectione adsidua. Digesta cum Codice ex quotidianis prælectionibus absolverat. Certi juris haut exiguam habebat notitiam. Delibarat jus controversum. Interpretationes Legum & Doctorum sententias ac decisiones cognitatas habere laborabat. Wesenbecij Paratitla quotidie legebat, quibus Henrici Hahnij observationes, itemq; Johannis à Felden Annotationes nondum in lucem editas sedulo & cum magnâ voluptate jungebat. In his omnibus quantos progressus fecisset, in Academia Julia ostendit publicè, ubi opponentis partes strenuè tutatus est. Decreverat nonnulla specimina in lucem publicam edere, ex quibus de profectibus judicium posset fieri. Et perfecisset, si vitam agere, auspice Numine debuisset diutius. Accedebat ad hæc insignis linguarum peritia. Gallicam Lugduni Battavorum puer adhuc didicerat, eandemque tam commodè loquebatur pariter & scribebat, ut laudè inde nõ semel reportarit. Neq; minus in Academia Lipsiensi Italicum sermonem Studiosè percepit. Latinam tam promptè & profluenter loquebatur, ut elegantiam etiam, si animum intenderet, non desiderares. Sunt adhuc Orationes aliquot, quas eodem sermone fecit. Tanta ipsi erat præterea
& Mo-

& Modestia animi & Morum omnium venustas ac elegan-
tia, ut mihi met ipsi dubium meritò videatur, num propter
hasce virtutes, an ob tanta in studijs spacia magis in vita a-
mari debuerit & commendari. In nuperis Comitijs certè
Reginoburgicis ad quæ proficiscentem **D O M I N U M**
PRO-PRINCIPEM secutus est, quo & electionem Augu-
stæ Vindelicorum, & coronationem Divi **FERDINANDI**
IV. Romanorum Regis Reginoburgi factam, aliaque so-
lemnia inspiceret, ex virtutibus istis nonnullos & Maximos
Viros sibi conciliabat: Publice verò apud omnes carus e-
rat. Habebat illud concessum à benignâ adeò naturâ, ut
Modestia, Comitatus & mira affabilitate quoscunq; in sui a-
morem haut difficulter posset pertrahere. Neutiquam o-
pus est ad fidem dictis faciendam rerum testimonia produ-
cere. In illis, quæ commemoravi studijs, diligentiam pari-
ter & profectum suum non semel **ILLUSTRI ET EX-**
CELLENTISSIMO DOMINO PRO-PRIN-
CIPIS, cui post **DEUM** debebat, quicquid didicerat, cum
per litteras, tum coram probavit. Erunt non pauci, qui in
laudando eodem, quamplurima me præterijisse fatebun-
tur. Quotquot certe **ADOLPHUM FRIDERICUM** no-
verunt, alij propter ea studia, quæ capaci mente circumfe-
rebat, alij ob multa sciendi & plura subinde discendi ardo-
rem inexplebilem, alij ob modestiam singularem, alij ob
miram comitatem, alij ob elegantiam morum omnes
eum amant & fecerunt plurimi. Per tantam pietatem
ipsum, per ea studia, moribus istis ad summum honorum &
dignitatum culmen adscensurum esse omnes, omnes Ma-
gnam aliquando fore, sperabant, augurabantur. Ipse post-
quam studia, animum, mores sic instituerat, animo repe-
tebat, non pacis modo, sed belli etiam temporibus laboranti
patriæ

patriæ suæ succurrere bonum civem debere. Hinc non pacis tantum, sed belli pariter artes homini nobili perdiscendas esse colligebat. Quas cogitationes dum agitabat & animo secū volvebat, præter spem accidit, ut Serenissimus & Potentissimus ELECTOR Brandenburgicus, quo ex officio Patriæ Patriæ boniq; principis se subditosq; suos ab incurſionibus barbarorum tutos præstaret, atq; omnem hostilem impetum, qui tum suis imminebat fortiter magnoq; animo propulsaret, suisq; securitatem præstaret & pacem, hac necessitate eaq; inevitabili impulsus militem cōscribere deberet. Noster utendum esse hâc occasione ratus, quo animo esset DOMINO PRO PRINCIPI primum, tum Domino Parenti suo aperuit. Ubi non displicebant suis proposita cum Generosissimo Domino Barone de BLUMENTHAL, quem studiorum hæc ænus socium habuerat in blandis Musarum castris, Martem nunc etiam sequi gaudebat. Inde in Centuria Generosissimi DOMINI BARONIS signum suscepit, quo disciplinam militarem disceret, majora animo subinde voluens. In hoc vitæ genere, in eo statu quæ desiderant aut sanè postulant castra alacri lætoque animo exsequebatur. Non minore industria quâ litterarum studiis ante, nunc disciplinæ militari incumbere sedulo. Neq; ea tamen è manibus seponebat. Boni militis officia sollicitè præstabat. Quantum erat tamen temporis super, illud omne studiis, quibus totum se consecrarat, tradebat. Sic in Martis versabatur castris, ut Musarum tamen nequam defuisse, meritò videretur. Norat eundem morem Maximos olim bellorum duces, Xenophōtem, Scipionem, Julium Cæsarem, & quem alterum Martem credidere Annibalem præstitisse. Castra sanè Musas non aspernâtur aut

aut fugiunt. Eos qui cum fortitudine & magno animo solidam eruditionem junxerunt, magnos bello & per castra factos esse, non ignoramus. Et Arte & Marte insignem esse pariter & clarum, ad Maximam fortunam capeffendam via est omnino & expeditissima & certissima pariter. Et dicere bene & facere fortia perfecta demum nobilitas est. Hinc parens cum alijs multum sibi de hoc Filio optimè educato pollicebatur. Hunc domus & familiæ suæ decus & aliquando præsidium fore sperabat ac intra sinum lætabatur. Ostendebat non semel pater optimus quanti hunc filium faceret, & quomodo in oculis propemodum gestaret. Cum primis **DOMINUS PRO-PRINCEPS** hunc sibi suisq; necessarium fore & utilem, imò domus suæ suorumq; si non fulcrum quoddam, ornamentum certè fore sperabat. Credebatur **ADOLPHUS FRIDERICUS** in Illustrem familiam **BLUMENTHALIANAM** relaturus, quæ bona inde per multos adeò annos perceperat. Hæc spes erat, hæc cogitatio. Sed ô spem fallacem! Tanta spes nostra **ADOLPHUS FRIDERICUS** in ipso & optimo ætatis flore hinc migrare jubetur, nobisque præter vel spem vel cogitationem omnem eripitur. Sic admonere nos Divinum Optimumq; & Maximum Numen voluit, non humanæ modo fragilitatis, verum quam inanes sæpè sint spes mortalium. Ipse unico momento spes Maximas etiã disjicere valet & facere irritas, ne rerum nostrarum tam caduca & fractu facilia fulcra, sed divina maximè eaq; longè certissima & sempiterna circumspiciamus. Caveamus ne hæc sapientissima **DEI** ratio miseris mortalibus nobis displiceat, aut contendere cum omnipotente incipiamus. Terrena nobis eripit, quo coelestia quæramus rerum nostrarum

C

strarum



strarum adminicula, nulla prorsus vi nulloq; impetu loco
movenda. Fortiter itaq; & patienter ferre oportet tantum
tamque improvisum casum. Benè omnia justeq; facere
DEum, subinde cogitemus: Quæ cogitatio si bene sedet &
animo impressa est, quamcunq; calamitatem divinitus no-
bis immissam & casum quemcunq; adversum forti bono-
que animo ferre possamus & superare. Dedit Dominus,
idemque abstulit, sit nomen ejus benedictum. Oportet in-
tueri divinum beneplacitum, cui omnes nos nostrosque
adfectus subicere par est, & providentiam divinam optimè
omnia disponentem, etiamsi hominibus nobis secus non
rarò videatur. Cogitemus non mori eos, sed perpetuò vi-
vere, quicunque ita, sicut Noster, vitam agunt, qui ita diem
suum abeunt, vel jussu Summi Imperatoris è suâ statione
rectè excedunt. Noster sempiternæ vitæ voluptate jam frui-
tur. Absoluto dubio certamine perpetua Pace nunc fruitur
& diurnâ tranquillitate. Pervenit ad vitam perennem,
ubi dolor nullus, nullus gemitus. Venit in conspectum ac
complexum Optimæ Matris suæ, eosdemque quos sequi per
virtutem decreverat Majores suos longâ serie in felicissima
statione illa intuetur. Habeat itaq; finè tristitia, cessent sin-
gultus & lacrymæ, cum ex omni formidine liberatum in
portu securè agere atq; in tuto locatum esse ipsum certum
sit. Ipsi benè nunc & in æternum benè esse credimus. Meli-
orem illic vitam exigit. Non deplorandus itaque est ipsius
discessus. Quod si in bello non tam bene pugnantium,
quàm benè morientium fortuna laudanda est; meritò ille
quidem laudari debet, qui nobiscum benè vixit, & benè
mortuus est. Dilexi ADOLPHUM FRIDERICUM
Nostrum, & ideo prosequi eum ad regionem usq; vivorum
debeo;

debeo. Neque cessabo habere eum in animo & perpetua
memoria, quàm quidem diu vitam mihi DEUS concesserit.
Ipse Pietatis Suae præmia in cœlo capit. Virtutis apud nos
felicem tenet memoriam. Pro brevi militiâ, non grami-
neam aliquam, nō lauream, neq; auream etiâ, sed æternam
habet coronam, quæ rectè militantibus, quæ strenuè pug-
nantibus, quæ egregiè vincentibus, quæ triumphantibus da-
tur. Hæc insignis corona est, & supra omnem invidiam po-
sita. Hæc velut athletâ meritò lætatur nunc & exultat.
CARISSIME OMNIUM, quod si in TE est quicquam hu-
manarum cogitationum reliquum, siq; mei adhuc memi-
nisse potes, benigne accipe, Ô ANIME MI! ardentissimi
mei in Te, necullo tempore intermorituri amoris testem
postremum hoc officium, quod cum multo gemitu, cum
dolore & lacrymis Tibi, animò certè mœsto & plurimum
reluctante manu in præsens persolvo. Tu quotidiana me-
moriam mecum semper eris, donec Tecum aliquando &
cum æternitate ipsâ conjungar. Tunc uterque simul be-
nè valebimus. Interea dum ab illa patriâ nostra peregrè
absumus, Te intuebimur deinde, erisque semper in me-
moriam nostra & faustâ recordatione, usque quo ad TE per-
tingere dabitur. Nos eo ordine & loco, quo supremum
Numen iusserit læti bonoque animo sequemur. Sal-
ve ADOLPHE FRIDERICE, desiderium gaudi-
umque & dulce decus nostrum! Salve Animula longè
Carissima! Salve Ô ADOLPHE FRIDERI-
CE! atq; iterum iterumque Salve! & æter-
num Vale!

TUMULUS ADOLPHI FRIDERICI DE LEPEL.

ADOLPHO FRIDERICO
DE LEPEL.

JUVENI GENEROSO ET NOBILISSIMO

In

Suæ Patriæ

Suorumq;

Spem longè Maximam

Patre

NICOLAO DE LEPEL,

Capitano Megapolitano

&

GERTRUDA DE BLUMENTHAL,

Femina religiosa, pia, cordata,

DEO hominibusq; dilecta,

liberum suorum

Severa Bonaq; Matre,

Sorore sua Carissima

ANNO CHRISTIANO MDCCXXXV.

bene nato

atq;

Post regenerationis lavacrum

Apri-

A prima ætate
In
Vera pietate
Virtute non fucata
Solidaq; Eruditione
Theologica
Juridica
Historica
Philosophica
Philologica

Cum

GENEROSISSIMA ANIMA

CHRISTOPHORI CASPARIS

L. B. DE BLUMENTHAL

Sumtu suo haut mediocri

rectè educato,

postquam

Scientias illas, quæ

ad Majora nitentem

vel Tueri possunt,

vel Ornare;

C ;

artem;

artemq;
& Bene dicendi,
& Subtiliter disputandi;
itemq; Linguas
Latinam
Gallicam
Italicam

Ingenio felicissimo

&

Judicio certè singulari
didicisset: atq;

ne ad solidam laudem quicquam deesset,
post blanda Musarum castra,
sævi Martis etiam
tentare cœpisset,
Indeq;

Vniversæ patriæ suæ
BLUMENTHALIANÆ domui
Suis Carissimis

Bonisq; Omnibus
Spem Maximam
ostendisset, adfirmasset;
Fato

Heu!

Heu! nimis præmaturo
D. VIII. Jan. An. M DC LVI.
nocte concubia

Anno ætatis XXI.

rebus humanis exempto

Honorifico & Frequenti funere elato

HEMIPOLI

D. II. Decembr. Anno clō Iōc LVI.
ob tantam

Pietatem, Eruditionem, Virtutem & Modestiā

quæ cadere in eam ætatem potuit,

Sibi unicè dilecto & caro,

Conditorium hoc

&

Bonæ recordationis Monumentum

dicavit atq; posuit


IOACHIM FRIDERICH


L. B. DE BLUMENTHAL,


PRO-PRINCEPS HALBERSTADIENSIS.


Manu

CASP. LILII, BERLIN.









ALVENSLEBEN
Nh
196





CASPARIS LILII, BERLINATIS,
Sereniss. & Potentiss. ELECTORIS Brand. in
Acad. Regiom. design. Professoris Theol. & Jun. Baron.
DE BLUMENTHAL haftenus Ephori

In *Ms 196(22)*
PRAEMATURUM OBITUM

GENEROSI ET NOBILISSIMI
VIRI-JUVENIS

ADOLPHI FRI-
DERICI DE LEPEL,
EQVITIS MEGAPOLITANI
ORATIO.

Hemipoli,
ETypographico Andrea Coluvaldi,
Anno dno MDC LVI.